

ARTICULUS QUARTUS.

Multiplex Scripturae sensus.

§ 88.

Possibilitas sensus multiplicis.

1. — Per multipliciter sensus non species ejus intelliguntur, quas multas esse nemini dubium est; sed intelligitur praesentia plurium simul sensuum ejusdem vel diversae speciei in uno Scripturae loco. Plurimi sensum saltem grammatico-historicum (litteralem) et spiritualem nonnunquam simul esse concedunt. Alii eidem loco plures aliquando sensus litterales vel spirituales inesse contendunt. E contrario multi possibilitatem sensus multiplicis ab auctore intenti omnino negantes, unum tantum cujusvis loci sensum admittunt, omnemque sensum praeter grammatico-historicum respuunt, vel pro accommodato, ad usum rhetoricum restringendo, habent.

Sensus est cogitatio signis, praecipue verbis, manifestata, qui partem subjectivam habet et objectivam. *Sensus subjectivus* est cogitatio, quam loquens manifestare intendit; *sensus autem objectivus* est cogitatio signis ipsis, praecipue verbis, et quidem in contextu et cum conditione loquentis spectatis, expressa. *Sensus mere subjectivus*, sive unicus sive multiplex, quum non sit signis expressus, intelligi non potest, nec verus sensus est; ideo ad hermeneuticam non pertinet, sed ad conjecturam psychologicam. *Sensus mere objectivus*, sive unicus sive multiplex, cui essentia sensus scil. cogitatio et intentio desit, verus sensus non est. Verus sensus non sunt, nisi ambo conjuncti.

Possibilitas autem sensus multiplicis, de qua agitur, non est solum *physica*, idest potentia mentis et verborum ad plures simul sensus exprimendos; sed *possibilitas moralis*, scil. intelligibilitas et rationalitas ejusmodi multiplicationis sensuum.

2. — *Sensus subjectivus et objectivus* considerata animi et verborum natura *multiplices sunt* possibiles.

Sensus subjectivus et in homine et in Deo multiplex esse potest. Homo enim conscientia teste eodem tempore plures cogitationes et intentiones, quamvis forte non aequae claras atque eminentes, habere valet. Deum autem omnia eodem actu nosse ac velle constat. Eo magis multiplex sensus subjectivus possibilis est, si idem sermo duplicem habet auctorem, ut e. g. nuntium, dictando scriptum, vel liber inspi-

ratus. Similiter sensus *objectivus* multiplex esse potest. Nam verba (ut alia etiam signa) saepe multas habent significationes, ergo plures sensus capere possunt atque exprimere. Etiam contextus et conditio loquentis diversum iisdem verbis sensum addere possunt.

Sensus subjective multiplex et objective multiplex non solum seorsum, sed *etiam conjunctim* adesse possunt. Combinationes possibiles sunt sequentes:

1. multiplex sensus subjectivus — unus objectivus;
2. multiplex sensus objectivus — unus subjectivus;
3. multiplex sensus objectivus — multiplex subjectivus.

At *multiplex sensus subjectivus cum uno objectivo* (1) in sermonem intrare et intelligi non potest, ergo nec rationabiliter intendi. Nam quum in hoc casu verba plus quam unum sensum non sustineant, omnes sensus subjectivi uno excepto merae cogitationes remanent nullo signo expressae.

Duae tantum combinationes sensus multiplicis in sermone adesse et interpretationi subjacere possunt, scil. *multiplex sensus objectivus cum uno subjectivo* (2), et *multiplex objectivus cum multiplici sensu subjectivo* (3). Prior est *sensus multiplex negativus* (indeterminatus, disjunctivus), et hic vocatur *ambiguitas*; ¹ posterior est *sensus multiplex positivus* (determinatus, cumulatus).

In primo essentia sensus, scil. cogitatio intenta duplex revera deest; multiplex quidem sensus subjectivus possibilis est, verum reapse unus adest intelligendus, objective (fors etiam subjective) indeterminatus. In posteriore essentia sensus, scil. cogitatio intenta vere simul multiplex adest et signis expressa est, ideo sensus actu multiplex intelligendus. Ibi sensus unus est dijudicandus et ex multis objective possibilibus eligendus; hic omnes sensus quaerendi et una acceptandi.

3. — *Sensus ambiguus*, quum sit indeterminatus, per se intelligi non potest, sed defectus sensus, aenigma, jocus, imo dolus, aut certe vitium sermonis est. Hinc nemo prudenter eo utitur, nisi ad sententiam justis de causis celandam. Attamen si alias vel postea utcunque determinatur, ambiguitas intelligi et rationaliter adhiberi potest, ad aliquid nonnullis vel interim occultandum, aliis vel postea patefaciendum.

Sensus objective multiplex a loquente conjungi potest cum uno determinato et cum nullo determinato (ancipiti) sensu subjectivo; ipsa

¹ Vocatur etiam aequivocatio (imprimis ambiguitas vocabulorum ac phrasium) et amphibologia seu amphibolia.

autem incertitudo potest esse praevisa atque intenta, aut non. Ita variae ambiguitatis species oriuntur.

a) Ambiguitas *fortuita* est, si unus sensus cogitatur et intenditur; at verba alium quoque sensum capiunt vel exprimunt, quem auctor non praevidit. Auctoribus Scripturae humanis accidere potest, sed auctori divino minime.

b) Ambiguitas *permissa* adest, quum auctor unum sensum intendit, at etiam alium vel multiplicem verbis inesse videt, eumque justis de causis non excludit. Ambiguitas haec saepe *relativa* est; scilicet sensus nonnullis vel ad tempus ambiguus est, aliis (e. g. attento auditori) certus, aut postea ab auctore vel rebus ipsis declarandus. Talis est nonnunquam sensus restrictionis mentalis. Etiam in sermone inspirato atque ipsius Dei possibilis.

c) Ambiguitas *consulta* est, si loquens plures sensus cogitat ac verbis expressos praevidet, at nullum vere intendit nec determinat, idque ideo, ut responsum detrectet aut veram mentem celet, ergo non ut intelligatur, sed potius ut non intelligatur. E. g. ibis, redibis non morieris in bello. Quum aliquam semper doli speciem prae se ferat, haec ambiguitas in Bibliis locum habere nequit.

4. — De sensu *positive multiplici* sequentes statuimus propositiones.

Propositio I. Sensus litteralis ejusdem loci positive multiplex, quum sit indeterminatus, intelligi non potest; ideo docendo inutilis, tantum ad sententiam celandam valet.

Nulla cogitatio sine signo ab homine intelligi potest; quare quaevis cogitatio proprium et distinctum signum habeat, necesse est. Atqui sensus litteralis positive multiplex uno eodemque signo, idest uno sermone ancipiti et indefinito exprimitur, sub quo unus an multiplex, et qualis sensus subjectivus lateat, non apparet. Ideo talis sensus multiplex ab ambiguitate revera distingui nequit. Veritatem non pandit, sed occultat, saltem incertam relinquit. *Sermo igitur clarus et determinatus plus quam unum sensum subjectivum et unum objectivum habere non potest.*

Idem etiam in libros inspiratos cadit, quia inspiratio vim ac naturam verborum et conditiones sermonis humani non mutat.

Objiciunt tamen, saltem a Deo iisdem verbis multiplicem sensum subjectivum exprimi posse.

Deus sine dubio potentiam absolutam habet, multis unius vocis significationibus multa, quae simul cogitat, exprimendi, iisdemque verbis multiplicem sensum subjiciendi. Sed quum verba ambigua inter homines

non intelligantur, Deus pro sua sapientia (potentia ordinata) ejusmodi signis ambiguis uti non potest, si intelligi velit. Potest quidem Deus verba ambigua adhibere ad aliquid celandum vel in obscuro relinquendum, sed ad docendum et aliquid manifestandum ambiguitate uti prudenter non potest. Multiplicem sensum a Deo in Scripturis abscondi potuisse, nemo negat; at quum Deus Scripturam non ut veritatem absconderet, sed ut eam revelaret, dederit, certe parum prudenter egisset, si quod revelare voluisset, abscondisset.

Objici possent adhuc illi casus, in quibus *multiplex sensus litteralis adesse videtur*. Tales casus sunt

a) *duplicitas sensus proprii et translati*. Sed hic non est nisi unus sensus intentus ac verus, scil. translatus.

b) *Duplicitas sensus verbalis et symbolici*. Hic quidem uterque sensus intenditur, tamen verbalis non ob seipsum tamquam finem, sed ob sensum symbolicum, ut hujus instrumentum. Sensus ergo vere intentus est solus symbolicus.

Si quis in tropo vel symbolo etiam proprium vel verbalem sensum contra morem hominum intenderet, talis locutio artificiosa aenigma esset vel dolus, viro prudenti rem gravem agenti indigna.

c) *Multiplicitas sensus relativa* est, si aliquis iisdem verbis ambiguis plures simul veritates tradere vel aliis aliud significare vult, qui diversi sensus e diverso contextu vel diversa loquentis conditione (circumstantiis) intelliguntur. At in hoc casu revera non unum est signum sed multiplex, scilicet unum dictum cum diverso contextu vel diversis circumstantiis conjunctum et ita diversimode determinatum. Ceterum talis quoque sermo obscurus est atque incertus, et rarissime saltem in docendo rationabilis.

d) *Duplicitas sensus imperfecti et perfecti seu explicati*. Saepe id, quod auditores nondum intelligere possunt vel debent, sermone obscuro ad tempus dissimulatur, ita ut interim sensus obscurus et imperfectus, postmodo autem sensus clarus et perfectus intendatur, ab auctore vel rebus ipsis suo tempore manifestandus seu explicandus. Haec obscuritas et imperfectio paedagogica frequens est in vaticiniis futurorum contingentium, ad evitandam resistantiam aut coactionem liberi arbitrii ad tempus obscuris, item in doctrinis Christi, captum apostolorum interim superantibus, postea a Spiritu S. vel circumstantiis explicandis. At in hoc casu signum cogitationum verum non primus sermo est, sed ejus explicatio. Praeterea sensus obscurus et imperfectus non est alius ac clarus et perfectus, sed idem sensus ex parte manifestatus. (Distinctio realis inadaequata.)

e) *Duplicitas sensus diversorum auctorum.* Ubi duo sunt ejusdem dicti auctores, unus principalis, alter secundarius, facile fieri potest, ut alius alium sensum iisdem verbis subjiciat. Ita e. g. nuntium mittens et ipse nuntius, auctor et amanuensis, Spiritus S. et scriptor inspiratus.¹ At per se intelligitur, unum hic esse sensum verum, eum quem auctor principalis intendit. Aliter se res habet, si sensus unius auctoris est litteralis, alterius spiritualis, in quo casu uterque sensus est intentus ac verus.

Propositio II. Duplex sensus positivus, alter litteralis, alter spiritualis, si ab auctore vel rebus ipsis indicantur, intelligi possunt, et ad harmoniam ac praedestinationem oeconomiae salutis significandam convenientissime adhibentur.

Etenim in hac duplicitate sensus revera propria et distincta signa duarum cogitationum adsunt: verba, quae res, et res quae alias res significant. Diversas autem cogitationes propriis et distinctis signis intelligibiliter exprimi posse, constat. Sed ut significatio rerum appareat, auctor vel evidens rei veritas duplicem sensum sub verbis latere declarent necesse est. (V. supra cognitionem typorum p. 236.)

Ratio autem talis sensuum combinationis eadem est, ac typorum, scil. harmonia diversarum oeconomiae salutis aetatum, et praedestinatio teleologica praeteritorum ad futura. Haec autem omnia ut potentissima divinae providentiae supernaturalis argumenta sunt, ita sine typis et duplici eorum sensu significari non possunt. Insuper conjunctio sensus litteralis et spiritualis verbis gratiam, vim ac majestatem vere divinam addit.

Duplex sensus positivus ad supernaturalem salutis oeconomiam ac revelationem pertinet, et divina praescientia ac providentia ipsam historiam liberosque hominum actus regente nititur. In ordine naturae fieri non potest, neque sine revelatione cognosci. Omnis imitatio ejus in sermone naturali esset irrationalis.

Sensus spiritualis per se *multiplex* esse potest, quia una res futura plures ac diversas alias significare potest, quare etiam plures sunt sensus spiritualis species. Tamen sensus spiritualis uno loco intentus *multiplex* impossibilis, aut certe minus probabilis est.

¹ Sensus, quem auctor principalis intendit, a quibusdam vocatur *objectivus*, ille autem, quem auctor secundarius verbis subjicit, *subjectivus*. Nos tamen his vocabulis alio sensu utimur. — Sensum autem prophetiarum ab auctoribus inspiratis non semper intelligi, docet etiam I. Petr. 1, 10—12. Conf. S. Thomas, II. II. q. 173. a. 4.

Is enim tum nimis artificiosus esset, tum confusionem pareret, aut saltem sine copiosiore explanatione intelligi non posset.

Adnotatio. A speciebus sensus multiplicis descriptis differunt *multiplex sensus illatus* et *ambiguitas exegetica*. Prior quid sit, nomen ipsum docet. Posterior autem est incertitudo sensus veri et diversitas interpretationum, quarum nonnisi una (vel plane nulla) sententiae auctoris congruit.

§ 89.

Unitas sensus biblici litteralis.

1. — S. Augustinus multiplicem sensum litteralem in Bibliis adesse asserit, et idem S. Thomas sentire videtur. In eadem sententia fuisse dicuntur Bellarminus, Cajetanus, M. Canus, Bannez, Salmeron, Molina, Vasquez, Corn. a Lapide, Bonfrère et alii quidam catholicorum, saltem in nonnullis locis Bibliorum sensum litteralem duplicem admittentes. Zapletal rem non esse incredibilem, imo convenientem existimat. Coccejus autem contendit, tot esse Bibliorum sensus, quot modis ea explanari possint. In hac re statuimus

Propositionem: Sensus litteralis a Spiritu S. intentus in Bibliis ubique est unicus.

Non negamus in Bibliis *ambiguitatem objectivam et exegeticam*; sed negamus multipliciter sensus litteralis positivam seu cumulatum in eodem Scripturae loco.

Thesis probatur *impossibilitate* sensus litteralis multiplicis. Quum enim sensus *multiplex* positivus ubique, etiam in Bibliis sit impossibilis, ut supra demonstravimus: ex impossibilitate non-existentia recte colligitur.

2. — Neque *argumenta allata* sensum vere multiplicem probant.

1. Dicunt nonnullos Scripturae locos *ab auctoribus inspiratis multiplici sensu citari*, quod etiamsi verum esset, non necessario sensum multiplicem *litteralem* probaret. a) Verba psalmi 2, 7.: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te*, S. Paulus Act. 13, 33. de resurrectione Christi et Hebr. 5, 5. de sacerdotio Christi interpretatur, quum locus ille revera de generatione Messiae divina dicatur. Sed Paulus simpliciter sensum consequentem illius loci colligit: filietate Christi divina resurrectionem et sacerdotium sempiternum demonstrans. Act. 13, 33. enim dicitur Pater Jesum resuscitasse a mortuis, sicut in psalmo scriptum est, i. e. resuscitasse, quia psalmo teste Filius Dei sit. Revera Hebr. 1, 5. Christus eodem psalmo citato Filius Dei esse probatur. Hebr. 5, 5. autem ille dicitur Christum pontificem constituisse, cujus

teste psalmo Filius est. — *b*) Isai. 53, 4. 5. de Messia patiente legitur: *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit . . . et livore ejus sanati sumus.* Matth. 8, 17. verba haec in Messia aegrotos sanante et daemona ejiciente impleta dicuntur; rursum I. Petr. 2, 24. Messiae pro peccatis patienti applicantur. Sed qui accurate locos illos aspexerit, videbit, non idem dictum utroque loco citari: apud Matthaeum languorum et dolorum, apud Petrum livoris fieri mentionem. Praeterea quum sensus verborum illorum late pateat, evangelista illa sensu latiore adhibet, quasi dicat: Isaias praedixit peccata eorumque sequelas (corporales et spirituales) a Messia susceptum et multis modis (tum ea sanando tum pro iis satisfaciendo) portatum iri. — *c*) Jer. 31, 15. sunt verba: *Vox in excelso (in urbe Rama) audita est lamentationis, luctus et fletus Rachel plorantis filios suos etc.* Verba haec procul dubio luctum deportationis significant; et tamen Matth. 2, 17. 18. in matribus infantum Bethlehemicorum adimpleta esse dicuntur. Sed luctus ille antiquus potuit esse typus novi, et verba illa ad utrumque luctum pertinere; vel vero verba illa non sensu intento, sed accommodato allegantur. — *d*) Dan. 9, 27. dicitur: *erit in templo abominatio desolationis*, quod contextus ad aetatem Messiae refert, et ipse Christus Matth. 24, 15. ita interpretatur. Et tamen I. Mach. 1, 57. pollutio templi per idolum ab Antiocho super altari erectum sub illis verbis intelligitur. Sed liber Machabaeorum idolum Antiochi simpliciter *abominandum idolum desolationis* nominat, neque ullam vocem de impletione prophetiae dicit. — *e*) Joan. 2, 19. unus est sensus a Christo intentus et ab evangelista (v. 21.) declaratus, scilicet resurrectio; reaedificatio templi est error ad tempus permissus. — *f*) Joan. 11, 51. prophetia Caiphae de Christo pro populo morituro certe duplicem sensum habet, sed eorum unus tantum est a Spiritu S. intentus ac verus, alter ab auctore humano (Caipha) falso suppositus, a Spiritu S. ad summum permissus. — *g*) S. Joannes verba Christi (Joan. 17, 12.): *quos dedisti mihi, custodivi, etc.*, quae salutem animae apostolorum spectant, 18, 9. ad intercessionem Christi comprehensi pro libertate apostolorum refert. Quibus evangelista tantum significat, Christum non tantum de salute animae, sed etiam corporis discipulorum pro magna sua charitate sollicitum fuisse. — In ejusmodi locis si revera duplex sensus adest, ille non litteralis est, sed alter litteralis, alter spiritualis, analogicus, accommodatus vel consequens.

2. Neque *traditio* multiplici sensui litterali suffragatur. S. Augustinum et S. Thomam ejus patroni allegare solent. Revera *Augustinus* postquam varias Gen. 1, 1. expositiones adduxit (Conf. XII. 31.), ita loquitur, quasi omnes illas varias et plures adhuc possibles sententias

pro veris acciperet. Inter cetera dicit: »Cur non (Moyses) utrumque potius (senserit), si utrumque verum est? Et si quid tertium, et si quid quartum, et si quid omnino aliud verum quispiam in his verbis videt, cur non illa omnia (Moyses) vidisse credatur? . . . Sensit ille (Moyses) omnino in his verbis atque cogitavit, cum ea scriberet, quidquid hic veri potuimus invenire, et quidquid nos non potuimus, aut nondum possumus, et tamen in eis inveniri potest«. (Similiter Conf. XII. 18. 19. 25. 26. 30.) Et alibi (Doctr. Christ. III. 27.) Spiritum S. omnes sententias in se veras et bonas praevidissee imo intendisse asserit. Sed Augustini auctoritas quaecumque est, quaestionem non decedit; eo minus quia S. Pater doctrinam illam non ut traditionem, sed ut opinionem privatam et novam proponit, et alibi contrarium sentire videtur (Serm. 7, 5. De doctr. Chr. I. 36. III. 4. et 28.) docens, sensum litteralem vix unquam ambiguum esse et ipsum sensum, qui charitatem aedificet, rarissime fallere posse. — Ideo defensores sensus multiplicis ad *S. Thomam* refugiunt. Hic namque Doctor Angelicus ait: »Ne quis ita Scripturam ad unum sensum cogere velit, quod alii sensus, qui in se veritatem continent, et possunt salva circumstantia litterae, Scripturae aptari, penitus excludantur. Hoc enim ad dignitatem divinae Scripturae pertinet, ut sub una littera multos sensus contineat, ut sic et diversis intellectibus hominum conveniat, et unusquisque miretur se in divina Scriptura posse invenire veritatem, quam mente conceperit, et per hoc etiam contra infideles facilius defendatur, dum si aliquid, quod quis e S. Scriptura velit intelligere, falsum apparuerit, ad alium ejus sensum possit haberi recursus. Unde non est incredibile, Moysi et aliis S. Scripturae auctoribus hoc divinitus esse concessum, ut diversa vera, quae homines possent intelligere, ipsi cognoscerent, et ea sub una serie litterae designarent, ut sic quilibet eorum sit sensus auctoris. Unde si etiam aliqua vera ab expositoribus S. Scripturae litterae aptentur, quae auctor non intelligit, non est dubium, quin Spiritus S. intellexerit. Unde omnis veritas, quae salva litterae circumstantia, potest divinae Scripturae aptari, est ejus sensus.« (De potent. qu. 4. a. 1.) Et alibi postquam triplicem sensus spiritualis speciem proposuit: »Quia sensus litteralis est, quem auctor intendit, auctor autem S. Scripturae Deus est, qui omnia simul suo intellectu comprehendit: non est inconveniens, ut dicit Augustinus, si etiam secundum litteralem sensum in una littera S. Scripturae plures sint sensus.« (Sum. th. I. qu. 1. a. 10.) Sed S. Thomas illis locis tantum obiter non data opera rem tractat, et per sensum litteralem omnem sensum ab auctore intentum, ergo etiam realem et spirituale intelligere videtur. Praeterea S. Thomas ad objectionem, quasi quadruplex

sensus (litteralis, allegoricus, tropologicus et anagogicus) ambiguitatem ac confusionem pariat et vim argumentationis dissolvat, respondet: »Sensus isti non multiplicantur propter hoc, quod una vox multa significet, sed quia ipsae res significatae per voces aliarum rerum possunt esse signa.« (Sum. theol. I. qu. 1. art. 10.) Unde patet sensum iisdem signis expressum multiplicem a Doctore Angelico non agnosci, imo vero pro confusionis parente haberi. Et S. Doctor in commentariis nullibi duplicem sensum litteralem admittit.

Verum quidquid de Augustino et Thoma sit, traditio ecclesiae antiqua multiplicem sensum litteralem ignorat. (Ad S. Gregorium M. perperam provocant.) Quodsi Patres varias interpretationes proferunt, vel approbant, tantum incertitudinem sensus ostendunt, minime autem omnem sensum possibilem pro vero et a Spiritu S. intento habent. Ubi autem vere duplicem sensum admittunt, unum litteralem, alterum spirituales intelligunt. Etiam doctores aevi unitatem sensus litteralis defendunt: Alex. Halensis, S. Bonaventura, Albertus Magnus; deinde recentiores: Alph. Tostatus, Maldonatus, Estius, Calmet, Patrizi, Wilke, Beelen, Cornely, Knabenbauer, Reithmayr et fere omnes hodie theologi. Concilium Lateranense, ad quod Bannez provocat, vocem *in principio* duplici sensu non accipit, quum ea duplicem errorem refutat ac damnat. Frustra ergo protestantes Lutherum suum celebrant, quod exploso subdolo catholicorum de pluralitate sensus commento unitatem sensus asseruerit. Varias autem alicujus loci expositiones tantum ambiguitatem loci exegeticam seu incertitudinem sensus probant, minime autem multiplicem sensum arguunt.

3. Dicunt ad perfectionem sermonis divini et ad dignitatem Scripturae pertinere, ut paucis atque iisdem verbis multos exprimat sensus. Respondemus: Nihil ad perfectionem sermonis divini pertinere potest, quod impossibile est. Et maxima cujusvis sermonis perfectio ac summa eius dignitas est, ut sensum perspicuum ac certum habeat et intelligatur; hac ergo perfectione verbum Dei perfectissimi carere non potest. Careret autem, si sensus litteralis in Scriptura multiplex esset; talis enim sensus nisi alio loco explicetur, obscurus et incertus est. Deinde vocabulorum ac locutionum natura in S. Scriptura alia non est, quam in quibusvis libris; ergo neque natura sensus litteralis. Profecto, si Spiritus S. hominibus per homines sermone humano loqui dignatus est,¹ nulla fuit ratio, sermonem humanum natura sua privare et exuere.

¹ In Scripturis per homines more hominum loquitur Deus — ait S. Augustinus. (De Civ. Dei. XVIII. 6.)

Accedit, ut hypothesis sensus litteralis multiplicis sensum S. Scripturae pro opinionum varietate mutabilem reddat, omnem certitudinem hermeneticam convellat, sententias subjectivas et sceptim in exegesi introducat, et denique omnem S. Scripturae auctoritatem evertat.

§ 90.

Exsistentia sensus spiritualis.

1. — Exsistentiam sensus spiritualis jam olim negarunt Porphyrius, Marcionitae, Manichaei et omnes antinomistae. Etiam Theodorus Mopsuestenus plerumque pro adversario sensus spiritualis habetur; eum tamen quidam (Kihn) ex recentioribus hoc errore purgare conantur, utpote qui (Comment. in Joan. prol.) »vetera esse typum quendam posteriorum« docuerit. Lutherus, quamvis in hac re sibi non constans, et alii protestantes sensum spirituales rejecerunt. Rationalistae omnes sensum spirituales pro mera accommodatione habent. Contra quos errores sequens statuitur

Propositio: Praeter sensum litteralem in nonnullis locis S. Scripturae saltem Antiqui Test. adest etiam sensus spiritualis (typicus) a Spiritu S. intentus.

Quae propositio quoad *Ant. Testamentum* ad fidem pertinet, et probatur sequentibus.

1. *Locis S. Scripturae.* Christus Dominus Matth. 12, 39. sqq. Jonam imaginem Messiae resurgentis, et Joan. 3, 14. serpentem aeneum imaginem crucifixi fuisse indicat. Talis autem imago historica est typus. — Rom. 5, 14. sqq. Adam expresse forma, *τύπος* futuri sc. Jesu Christi vocatur. — Gal. 4, 22. sqq. duae uxores Abrahae per allegoriam seu typum duo testamenta significare dicuntur. — Col. 2, 16. 17. S. Paulus leges convivales et festa Judaeorum umbram futurorum sc. Christi fuisse docet. — Hebr. 7, 3. Melchisedech Filio Dei assimilatus sacerdos dicitur. — Hebr. 8, 5. sacerdotes ant. test. exemplari et umbrae caelestium scil. Christi et ecclesiae deservisse dicuntur. — Hebr. 10, 1. sacrificia antiqui testamenti umbra futurorum bonorum appellantur. Conf. I. Cor. 5, 7. I. Petr. 1, 19. Apoc. 5, 6. 12. 13, 8.

Auctores sacri effatis S. Scripturae saepe alium tribuunt sensum ac litteralem ab auctoribus locorum humanis intentum. Quae agendi ratio testimonium infallibile nomine Spiritus S. perhibet, illis locis ex intentione auctoris divini revera duplicem subesse sensum. — Apostoli et evangelistae facta antiqui testa-